

Lobeliae longiflorae deleteria vis erat auditu pulchra.

Cancer brachiurus paralyticus bivalvis. de eo multa audivi, sed eum numquam vidi. utinam posses mihi comparare hunc, esset ille mihi dono omni alio charius, vel si nequeas, oro rogoque mihi delineatum sistas. Vide de eo *Syst. nat.* 628. ad finem paginae. *Amoenit. academ. tom. 2^o p. 48.* *Hasselq. iter palaestin. 450.* Perplaceret dignoscere hunc cancrum adeo apud veteres famosum ac a recentioribus admiratum. Laetor ex animo quod hanc Pinnotheren Tibi cognitione habeas.

Justicias tetrandras quaeso vel ad *Barlerias* v. *Ruellias* referas.

Astronium pulchrum nomen.

Elaterii et *Auguriae* duo pulcherrima et distinctissima genera.

Morus zanthoxylon videtur mihi ex specimine plane diversum a tinctorio, sed crederem *Zanthoxylon* tingere, cum cortex sit flavissimus.

Sapium ex Tuo caractere videtur distinctissimum esse genus, adeoque *Hippomane spinosa* erit hujus generis *Sapii* simul.

Schistomelum annon posset esse generis *Sicyos*.

Cissus non potest *Hederis* associari, cum in *Hedera* 5, in *Cisso* 1 sit semen, monosperma et polysperma non debent compingi facile, cum videmus in his rationem esse alienam.

Si *Jacquinia* det semina apud vos, quaeso mittas aliquot.

Lippiae semina vereor periisse in itinere, sub horrendo hoc gelu, quod die 7 Januarii majus fuit apud nos, quam ullo tempore per vitam nostram.

Fructum tulit *Musa paradisiaca* apud nos hoc autumno. *Bananam* Labati non habeo, neque *Caratas*, neque *Plumieriam*, neque *Tabernaemontanam*. Sed *Vincam roseam* *Syst. nat.* possideo pulcherrimam.

Cuscutae stamina 5 in Hispania etiam observavit, cum